Petri Heigii J.C.

ELECTORUM ET DUCUM SAXONIÆ CONSILIARII

QVONDAM, ATQVE ACADEMIÆ VVITEBERgenſis Profeſſoris publici,

COMMENTARII

Super IIII. Inſtitutionum Imperialium D. IUSTINIANI LIBROS, ſuccincti non minus quam perfecti,

IN

USUM ET GRATIAM IURIS STUDIOSORUM

EDITI

LUDOVICO PERSON I. U. D.

& in ead. Univerſitate Cod. Profeſſ.

Adiectis auctorum, tit: & paragr. nec non rerum ſeu materiarum indicib. locupletiſſ.

Cum Gratia & Privilegio.

VVITEBERGÆ

Ex Officina Typographica Laurentii Seuberlichii, Impenſis Samuelis Selfiſch, & Zachariæ Schureri.

ANNO M. D CIII.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

HEigius, Antiſtes Muſæ [illegible] Iuris, ad æſtum
Corporis atque animi claruit [illegible].

PETRO HEIGIO IC.

τῷ ἐν ἁγίοις.

In Curia Septemvirali Dresdenſi, Collega quondam ſuo deſideratiſſimo.

NOn igitur totum te nobis abſtulit HEIGI
Mors: quæ te ſubitum ſuſtulit ante diem.
Leucorea juvenes docuiſti vivus in urbe:
Erudiunt eos nunc poſthuma ſcripta ſenes.
Vixiſti ſemel in terris: poſt funera duplex
Eſt, data ſopito corpore, vita tibi.
Elyſiis in agris animo, novus incola [illegible],
Nobile[illegible] ſcriptis vivis & ingenio.
H[illegible] machina: [illegible]
[illegible] nullo tempore finis erit.

David Peiferus. IC.

SERENISS: ATQVE Illuſtriſs: Principi ac Domino,

DOMINO CHRISTIANO II.

DVCI SAXONIÆ, SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARSCHALLO ET ELECTORI,

Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, Burggravio Magdeburgenſi,

Domino ſuo clementiſsimo.

Offero Celſit. Tuæ, Sereniſs. Elector, Domine clementiſsime, ea qua par eſt, animi ſubiectione, libellum: cuius ſive auctorem ſpectemus, ſive fatum, nulli atq; Sereniſs. Excelſ. T. dedicari debuit. Prælectiones ſunt ſeu commmentarii, in quatuor Imperialiũ Inſtitutionum libros, à Petro Heigio, Iuris quondam Antiſtite, conſcripti, atq; in hac ſchola publicè dictati. Hic, ab eo tempore, quo à Celſ. T. Avo, AVGVSTO, Elector & Heroe potentiſs. cuius nomen laudesq; ob rarũ & pietatis & iuſtitiæ ſtudium (quo de nobis non tantum, ſed & de Eccleſia & Republ. atq; de univerſo Rom. Imperio præclarè promeritus eſt) durabunt, vaſti dum ſtabit machina mundi, ad publica Profeſſoris & Conſiliarii munera, bonis avibus, honeſtisq; propoſitis conditionibus clementiſsimè evocatus fuit, nihil prius, nihil poſterius habuit, quam ut illuſtriſs. ipſius voluntati atq; omnium ſatisfaceret expectationi. In cæteris quid præſtiterit, quantumvè valuerit, teſtabuntur alii, & teſtatum ex parte faciunt ſcripta in publicum iam emiſſa: Quid verò in eo officii genere? quod ſibi multis abhinc annis adhuc ferè iuveni primitùs fuit concreditũ: hisce lucubrationibus, quas & ipſe deproperabat edere, & edidiſſet iamdudum, niſi invida Parca filum vitæ opinione celerius abrupiſſet, comprobare, totiq; literariæ reipub. ceu diligentiæ ſuæ atq; eruditionis auctoramentũ exhibere voluit. Cumq; probè noſſet, quantum momenti in omni arte & diſciplina, poſitum eſſet, principia rectè ſi collocarentur, in eam ſeduló incumbebat curam, ut ex præſcripto iuſtin: Imp: Sacratiſs. rudem adhuc & infirmum diſcentis animum, ſimplici ſaltem ac levi via informando, eum ad modum inſtrueret, ut ſciret, quò ſe circumagat, quæ prima aut ultima ponat, adeoq; commoda interpretatione, ſine ulla rerum varietate, & allegationum apparatu, rectà deduceret ad fontes, & ad ſecretiora civilis ſapientiæ, eiusvè ſtudii myſteria, quod εὕρημα δὲ δῶρον θεῶν: δόγμα δὲ ἀνθρώπων φρονίμων: *& omnium virtutum* κοινὸν καὶ ἀπαράτητον ἀγαθόν: *regula vitæ, fons iuſtitiæ & æquitatis, vinculum & anima civitatis, manus & columna Imperiorum, non invenuſtè indigetatur: & ſine quo, nulla domus aut familia, nulla gens, nec ipſum genus humanum conſiſtere, atq; in officio retineri poteſt. In hoc ergò ſi quid levamenti contulerit ſtudioſæ iuventuti, eſt, quod Deo opt. max. bonorum elargatori agantur gratiæ: Et haud parum contuliſſe, in eoq; multis, qui in eadem militia militarunt, laudem palmamvè præripuiſſe, indica-*

 bunt

PETRI HEIGII I^CTI PRÆCLARISSIMI, COMMENTARII SUPER quatuor Libr. Inſtitut. Imperial.

Ad Epigraphen Prooemii.

DE CONCEPTIONE, COMPOSITIONE ET CONFIRMATIONE Inſtitutionum.

SUMMARIA.

1. *Politici certis doctrinarum gradibus juventutem ad ſummum bonum contendere voluerunt.*
2. *Nemo ſine principiorum cognitione aliquid præclari conſecutus eſt.*
3. *Politici morum & virtutum cognitionem politicam ſcientiam præcedere voluerunt.*
4. *Caius, Ulpian. Iuſtinian. de iuris cognitione & uſu tractaturi, præfationem, rei convenientem præmiſerunt.*
5. *Iuſtinianus univerſam civilem ſapientiam certis voluminib. complectens, cuivis ætati idoneam iuriſprudentiæ partem, & certos libros & quidem primæ ætati quatuor Inſtitutionum libros proponi voluit.*
6. *Inſtitutiones, Latini: Græci, Inſtituta contractè, haud abs re dixerunt. Vallâ ſubtiliter diſtinguente.*
7. *Autor & cauſa efficiens Inſtitutionum eſt Imp. Iuſtinianus, cuius res geſtæ ex illius temporis hiſtoria & ex inſcriptione prooemii percipi poſſunt.*
8. *In Rep. Roman. cur magna ratio nominum habita ſit.*
9. *Pueri pulchris nominibus nominandi ſunt.*
10. *Propria nomina hominũ pro arbitrio eorũ, abſq; fraude ſumuntur & mutantur.*
11. *Romani Magnates aucti opibus, nominib. pluribus poſſeſſionibus uſi ſunt, iiſq; aſſumtis à gentibus, à quibus inſigni beneficio affecti erant.*
12. *In Imperijs & regnis quibuſdam certa nomina ad ſucceſſores transferebantur.*
13. *Iuſtinianus nominum ſplendore ſe commendare voluit.*
14. *Acceſſione caſtrorum & facultatum mutantur tituli.*
15. *Imperatoris nomen olim militiæ fuit.*
16. *Octavius Auguſtus Mæcenatis conſilio, ſpreto nomine Regio, pop. Rom. exoſo, Imperatoris nomine contentus fuit.*
17. *Imperatoris nomen hodie dignitatis ad Imperij ſucceſſores tranſmiſſum.*
18. *Cæſaris nomen à Iulio Cæſare, & unde Iulius Cæſar hoc nomen ſortitus ſit.*
19. *Cæſares etiam dicti ſunt, deſignati in imperio ſucceſſores, eoq; nomine Iuſtinianus rectè Cæſar dictus, utpote à Iuſtino adoptatus, & Imperij conſors factus.*
20. *Politici probant ſucceſſoris electionem, vivo imperante ſaltem, quod ſine civili ſanguine imperium accipi poſſit.*
21. *Toletanum concilium, prohibens deſignationem futuri ſucceſſoris, intelligendum, quando ius de ſucceſſione certum eſt.*
22. *Iuſtinianus dictus eſt Flavius, in memoriam Conſtantini Magni, à Flavio Veſpaſiano oriundi, quod nomen illud ex eadem cauſa iam uſurpaſſet Martianus, Leo, Zeno, Anaſtaſius & Iuſtinus.*
23. *Iuſtinianus, ita dictus à patre adoptivo Iuſtino, ubi pauca de illius origine & dignitatibus.*
24. *Iuſtinianus dictus eſt Alemanicus, à parte Alemaniæ ſive Germaniæ devicta.*
25. *Germanorum nomen abolevit propè vetuſtius Alemanorum & Francorum.*
26. *Iuſtinianus dictus Gotticus propter bellũ 18. annis cum Gottis geſtum.*
27. *Iuſtinianus dictus eſt Francicus, Theudeberti Francorum Regis ducibus, Bucellino & Amingo, per Narſetem, occiſo reliquo exercitu, in Italiam effuſo, ſuperatis.*
28. *Franci ſeu Sicambrij Germani poſteriorem Galliam, ſubiugatis Gallis, occuparunt.*
29. *Iuſtinianus dictus Germanicus exemplo Druſi.*
30. *Germanorum ſedes vetuſtiſſima Perſia fuit, unde plurima perſica & parthica vocabula Germanici Idiomatis naturam ſapiunt.*
31. *Germanorum & Alemanorum nomina virilitatem præ ſe ferunt, nec ullius gentis ferocia Romanis magis formidabilis fuit, Quintilio Varo cum exercitu Rom. inſtructiſſimo, per Herennium Cheruſcorum Ducem, ad internecionem deleto.*
32. *Germanis domeſticus præco defuit.*
33. *Iuſtinianus dictus eſt Anticus, propter bellum contra Antas Iſtri ſ. accolas, Ducibus Childibio & Germano geſtum.*
34. *Iuſtinianus dictus eſt Alanicus, Vandalicus, Africanus, quod Alanos, & Vandalos, Scythicam gentem, in Hiſpaniam, Galliam & Italiam effuſam, per Beliſarium contriviſſet, iiſq; ex Africa expulſis provinciam illam Imperio reſtituiſſet.*
35. *Iuſtinianus dictus eſt pius exemplo Antonini, quod proſperâ fortunâ non ſolum eſſet inſolentior, ſed ſe q. patriæ patrem oſtendiſſet.*
36. *Iuſtinianus dictus felix: quod ſine infelix dici non poſſit, uſus ſemper fortunâ Imperatoriâ, hoc eſt, propitiâ.*
37. *Iuſtinianus dictus Inclitus, victor, Triumphator, quod ob inſignem Beliſarij de Perſis & Vandalis victoriam, honore militari ſupremo, triumpho nempe, eſſet decoratus.*
38. *Iuſtinianus dictus eſt Auguſtus ab Imp. Octavio Auguſto*

 guſto

PSAL: LXII.

Deus eſt fiducia & ſpes mea,

VVITEBERGÆ
In Officina Typographica Laurentij Seuberlichij.

ANNO 1603.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA